



# Disputatio juridica inauguralis de usufructu

<https://hdl.handle.net/1874/342127>

25.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE

# USUFRUCTU,

*Q V A M,*  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Autoritate Magnifici Rectoris,*

## D. M. JOANNIS LUYTS,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimeque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privi-  
legiis rite, ac legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini subjicit*

GULIELMUS AB AERSSEN, DE WERNHOUT, Clivensis.  
*A. D. 30. Junii, hora locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Icc LXXXVIII.

26.  
*Nobilissimo, Amplissimo, & ma-*  
*xime Venerando VIRO,*

**D. CORNELIO**  
AB AERSSEN DE WERN-  
HOUT, Libero Domino in  
Wernhout, Domino de Boe-  
culo &c. Supremo Satrapæ  
Comitatum Daelhemi & Ro-  
dæ-ducis, &c. &c. &c. Parenti  
ac Mœcenati suo unico, filiali  
obsequio in æternum prose-  
quendo,

*Hæc Theses inaugurales, devotissimo  
animo,*

*Dicat ac dedicat,*

*GULIELMUS AB AERSSEN DE WERNHOUT,*  
*Anct. & Resp.*



## DISPUTATIO JURIDICA

I N A U G U R A L I S;

D E

# U S U F R U C T U .

### T H E S I S I.

Uum emolumenta rerum , dominiis ju-  
re separatis , vel ad heredes transeunt ,  
ut , emphyteusis , feudum , quæ so-  
lā re immobili constant ; vel personæ  
adhærent , & cum eâ extinguntur , ut ,  
Ususfructus , Usus & Habitatio , quæ  
inter ususfructus ac usus quandoque in  
re mobili sunt ; Elegimus , pro no-  
stro exercitio , *Usumfructum* , utpote ad  
quem omnia rei commoda pervenient ; Definitur non malè ;  
*Fus alienā re utendi fruendi , salvā ejus substentiā* ; princ. *Inst.*  
*de Uſuſr. l. I. ff. cod. tit.*

A 2 II. Jan

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

## I L.

*Jus*, inquam, seu potestas, & quidem in *rem*, non ut eam pro libitu tractet fructuarius, alienando, oppignerando; quum hoc sit proprietarii; sed ut *utatur*, *fruatur*. Utendi facultas in eo sita est, ut ad quotidianam necessitatem, prout naturâ aut patris familias instituto ad eam comparata est, rem liberè exerceat, ædes inhabitando, fundum colendo, vestes induendo, cæteras res, secundum suam conditionem, tractando. *Fruendi* verò jus facit, ut omnia rei commoda perceptor acquirat, tam quæ ex ejus corpore, quam rei occasione proveniunt; Fructus nempè non solum naturales, sive sponte, sive operâ Fructuarii natos; sed etiam legitimos vel civiles, qui per causam rei oriuntur, ut ve-  
cturas, mercedes ædium, fundorum, & similes; v.g. si legatus omnium bonorum Uſufructus sit, in quibus, præter alia, jus pa-  
tronatus, dominium directum, jurisdictio, redditus vitalitii se pro-  
dunt, omnem harum rerum obventionem, quam defunctus indè  
habuit vel habere potuerit, suo lucro, itanquam fructus, cedere  
fructuarius non dubitat. *Menoch. lib. 1. conf. 66. Molinae ad con-  
fuet. Paris. §. 1. gloss. 1. Clar. §. emphyteusis, quest. 23. Coren obser-  
rer. à supremo senatu judic. 7.*

## III.

Longè aliter se res habet in colono, & proventuum annuorum legatario; qui, licet re alienâ uti frui non minus quam fructuarius videantur, & quidem jure summo: Tamen a fructuario in hoc differunt, quod jus tantum ad rem & in personam habeant, locatore, herede, ex contractu vel quasi sibi obligato, ut præstet uti frui licere; nullum tamen jus sibi asserunt proprium, nullum ex justâ causâ, quæ dominium transferre potest, traditum, nul-  
lam

# INAUGURALEIS

lam vindicationem, nullam confessoriam in rem actionem, uti quidem fructuarius. Quod egregiè *Vinnius* in *Comment. ad h. tit. instit.*

## I V.

*Re alienâ*, dicimus, ut appareat, nos Usumfructum à proprietate separatum; formalem nempè, prout barbare nuncupatur, denotare. Quamvis autem fructuarius, intuitu ejus juris, quod in rei emolumenta omnia habet, verè dominus sit, ac dici possit; ei de damno infecto caveatur; *l. 13. §. superficiarium 8. de damn. infect.* ad eum interdictum unde vi pertineat, *l. 3. §. 13. ff. de vi & vi arm.* Semper nihilominus in re alienâ jus suum totum exercet. Aliud longè in marito, dotis respectu, qui ejus, constante matrimonio, verus est dominus; Ut & in herede fiducia, ac emphyteutâ, ut accuratè satis idem *Vinnius d. loco.*

## V.

*Salvâ substantiâ*; Quâ clausulâ fructuarius vetatur rē maleuti, vel in alium finem, quam comparata est, *l. 15. & 19. ff. de Usufr.* Proprietatis causam deteriorem facere, *l. 13. §. 4. b. t.* Servitutem imponere, *l. 15. §. 7. ff. eod.* Quod si metallifodinæ, lapidicinia, terræ bituminosæ, è quibus cespites nostri utiles fodiuntur, in fructu sint, ita ut ex iis nullum commodum, nisi per substantiæ, quæ non renascitur, delibationem, percipi possit? Idem hoc casu erit judicandum, ac de fungilibus, in quibus non verus, sed quasi Ususfructus est; Quamobrem sicuti in his cautio de tantundem restituendo, ita in illis precium in sortem redactum, & proprietario, ubi Ususfructus extintus est, relictum, vicem substantiæ salvæ poterit explere. *Vide Cunjac. lib. 15. observ. 21. Mornac. ad l. 7. ff. b. t. Berlich. practi-*

## D I S P U T A T I O J U R I D I C A

cab. quest. part. 3. conclus. 35. n. 21, 22, 23. Joh. à Sande lib. 5. tit. 3. defin. 2.

### V I.

Ut autem dominus de proprietate suâ sit securus, ubi velit, cautionem exigit, accepto locuplete fidejussore, quem si fructuarius nequeat habere, in judicis arbitrio erit, ex circumstantiis proprietario consulere, vel juratoriâ cautione à fructuario praestâ, vel re apud virum honestum, imd si utile sit, apud ipsum proprietarium depositâ. Quæ cautio, ut ut ab herede possit remitti, saltem, dum fructuarius re rectè utitur, uti jure nostro planum est; à testatore tamen remitti nequit, ne amoto cautionis metu, pro libidine & impunè fructuarius in re sibi concretât, magno proprietarii malo, grassetur. l. 1. & 1.2. C. b. t. Clar. §. testam. quest. 64. Gail. 2. obs. 145. Quid si remissa sit, pro non scriptâ habenda est, l. 6. ut in pos. legat. Hinc optimè in quotidiana praxi invaluit, ut inventarii confessio, necessarium cautionis antecedens, similiter remitti nequeat. Grot. Introduc. lib. 2. cap. 39. Christin. ad leg. Mechlin. tit. 9. art. 13. n. 3. 4. Neostad. Cur. holl. decis. 20, & supr. Cur. decis. 33. & 91.

### V II.

Quocirca fructuarius rectè rem colet, ac instar boni patris familiæ. §. 38. Instit. de Rer. divis. l. 44. & l. 65. ff. de Usu fructu. Si quid vitii res contraxerit, vel à solitâ integritate recesserit, farciat, & quidem sumptibus suis, l. 7. §. 2. 3. ff. b. t. Ubi novum opus struendum, vel illud quod raro accidit, emergerit, aut quid faciendum sit, ad quod impensæ graves desiderentur,

rentur, ex ad proprietarium pertinebunt, & ab eo, si depensa sint, repeti poterunt, d. l. 7. & l. 27. §. 3. ff. eod. junct. l. 20. ff. de *damno infecto*. *Grot. introd. lib. 2. cap. 39. n. 8.* Tamen vectigalia, tributa, decimas, ac onera, quæ ex ipsâ re præstari debent, agnoscat, l. 7. §. 2. b. t. l. 28. *de usu & Usufr. legat.* Nisi, vel in ipsâ Usufructus constitutione aliter placuerit, l. 52. ff. b. t. vel ad rei perpetuam causam spectent, l. 27. §. 3. eod. quæ, finito Usufructu, ante rei restitutionem, deducenda sunt, d. II. Ut recte cautum de vigesima hereditatis, heredibus extraneis, & collateralibus impositâ, ab Hollandiæ Statu, *in Ordin. quadrag. ej. vigeſ. art. 6.*

## V I I I.

Constituitur *Usufructus* ut plurimum pactionibus, & ultima voluntate, tot. b. t. Præscriptione tertiae partis seculi, ut modo maximè generali; Olim quoque speciali lege, v. g. patri, in bonis filii adventitiis, pr. *Inst. per quas person. nob. acquir.* Finitur morte fructuarii, ac, si civitati vel municipio relatus, centum annis, qui finis hominis maximè longævi, l. 56. ff. b. t. & l. 8. *de usufr. leg.* Ipsius rei interitu, quo pristina facies mutata, & aliud nomen obtigerit. Cessione, aut consolidatione, quâ fructus vel proprietario cessus, vel proprietas fructuario tradita. Nisi lex impedit, occurrens hominum malitiæ, ut in patre, tutori & Usufructuario quarundam ædium, quæ ad liberos suos harum proprietarios pertinerent, suo Usufructus jure cedente, easque ædes creditoribus suis tanquam sibi proprias obærante, quæ liberis pleno jure restitutæ, & cum ipsâ proprietate, invito patre, meritò ab Hollandiæ Curiis, consolidatæ sunt. Quomodo porrò, per longum tempus negligentia, jus hoc fruendi possit amitti, & si quæ quæstiones aliæ sint, nos pro præfenti non morabuntur.

## F I N I S.

